

No. 44. 1335. 26. Jan.

B. Withego und das Capitel der Meissner Kirche genehmigen auf Vortragen des Plebans Michael zu Dresden die von Helwich genannt Schröter (Sartor) beabsichtigte Stiftung und Ausstattung eines Altars in der Nicolaikirche und bestimmen, dass Burgermeister und Rath für alle Zeiten das Patronatsrecht dieses Altars sowie des bereits geweihten Altars Omnium apostolorum besitzen sollen.

Withego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis, Albertus praepositus, Thimo decanus et totum capitulum eiusdem ecclesiae honorabilibus viris et discretis magistro consulum, consulibus et iuratis in Dresden salutem in domino sempiternam. Decet ut iustis petentium desideriis favorabilem quantum possumus exhibeamus affectum. Exhibita siquidem nobis per discretum virum magistrum Michaelem plebanum vestrum petitio continebat, quod cum quidam concivis vester¹⁾ videlicet Helwicus dictus Sartor altare in ecclesia beati²⁾ Nicolai apud vos in Dresden proponat et intendat³⁾ de novo construere pariter et dotare ad id certos annuos redditus deputando ad dei laudem et ad cultum divini numinis augmentandum, ut ad huiusmodi pium opus nostrum consensum ac⁴⁾ licentiam inpertiri dignaremur. Nos igitur vestris devotis precibus inclinati, ut altare ut praemissum est praedictus vester concivis construere valeat in ecclesia praenotata⁵⁾, accedente tamen ad hoc assensu vestri plebani memorati et licentia speciali, per praesentes de licentia speciali⁶⁾ et gratia duximus favorabiliter indulgendum⁷⁾, ita tamen quod magister consulum et consules dictae civitatis Dresden, qui sunt vel fuerint tempore profuturo, altaris saepedicti et altaris Omnium apostolorum in praefata ecclesia iam consecrati ius patronatus et praesentationis perpetuis temporibus habeant pro eorum libera voluntate, tali adhibita conditione, ut quemcumque praesentaverint sit presbyter idoneus vel ad presbyteratus ordinem aetate non obstante infra annum possit promoveri, etiam ut plebano qui pro tempore fuerit exhibeat reverentiam debitam et honorem. In cuius rei evidentiam sigilla nostrum et nostri capituli praesentibus duximus appendenda. Datum Misne anno domini M° CCC° XXXV° in die Policarpi martyris et pontificis.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Dresden mit dem wohlerhaltenen Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen; das Siegel des Capitels ist abhanden gekommen. Eine zweite Ausfertigung (B) mit dem beschädigten Siegel des Bischofs befindet sich im Stiftsarchiv zu Meissen und bietet die verzeichneten Abweichungen in der Fassung.

Hasche Urkundenb. S. 112 hat seinen an Fehlern nicht armen Text nach dem Orig. im Rathsarchiv zusammengestellt.

1) vester concivis B. 2) sancti B. 3) B. nur proponat. 4) et B. 5) in loco praefato B. 6) speciali licentia B. 7) Nach indulendum fährt B. fort: proviso ut rector, qui per eundem vestrum concivem vel per vos de ipsius voluntate praesentatus fuerit, sit presbyter vel quod possit ad presbyteratus ordinem aetate non obstante infra annum promoveri et quod plebano qui pro tempore fuerit exhibere debeat reverentiam et honorem. In cuius etc.